cetensque quorum interest notum esse volumus. Mandantes eis: dem, vt stationes seu pensiones eiusmodi sine vlla tergiversa: tione et renitentia memorato Paulo Scherbicz numerent et extra: dant. Quod nos non aliter acceptari sumus quam si in Thesauri nostrum illata forent. In quorum omnium fidem et testimoni: um praesentes literas manu nostra subscripsimus, sigilloque Regni nostri muniri iussimus.

Libertatio ciuibus Camenecen.

Sigismundus 3^o Feliciter ...

Quod cum tempore superiori Ciuitate nostra Camenecensi Podoliae ex permissione diuina tota fere per ignis inclementiam excussa, Praetorium quoque Armenorum Camenecen. antiquitus Priuilegiatum funditus conflagrasset, illudque iidem Armeni Camenecen. denuo non exiguis sumptibus ad ornamentum ciuitatis extruere intendant, suppliceque a nobis peterent, vt hoc idem Praetorium sicut praemissum est, denuo erigi in antiquis praerogatiuis conseruaremus, illudque ab omni hospitum et aliorum Judiciorum molestatione liberaremus; Nos qui iustam subditorum nostrorum, et Priuilegiorum per antecessores nostros concessorum rationem habere consueuimus, facien nobis esse duximus, vt supplicationi eorundem Armenorum Camenecen. annueremus. Quapropter inhaerendo Priuilegiis praefatis Serenissimorum antecessorum nostrorum, Praetorium praefatum sicut praemissum est post conflagrationem per eosdem Armenos Camenecen. renouandum, et denuo erigendum in quo antiquitus Judicia Armenica celebrari consueuerant, ad eum solum vsum celebrandorum vestri Judiciorum designamus, illudque tanquam domum Judicialem cives omnia iura et Priuilegia, quibus antiquitus ante conflagrationem praefatam gaudebat, conseruamus, ab omnique hospitum susceptione, et aliis omnibus Judiciis praeter Armenica liberum atque immune facimus temporibus perpetuis. Quod ad omnium quorum interest praesertim vero Generosi Joannis Potoczky Capitanei Camenecen. aliorumque

pro tempore existenti Capitaneorum notitiam deducentes eisdem
serio mandamus, ut Oratorium praefatum in ea libertate quam
ex veteribus Privilegiis habuit et ex praesenti nostra con-
cessione conservent, conservarique curent. Harum quibus Si-
gillum nostrum appensum est testimonio literarum etc.

Approbatio Fundi Ecclici

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod quamvis omnipotentis Dei beneficio nobis regnoque
nostro Poloniae ab ipsis religionis Christianae initiis
Sancti Dei Martyres Confessoresque nunquam defuerunt, quo-
rum patrocinio Serenissimi antecessores nostri se regnumque
suum subjecerunt, nuper tamen sub foelici Regimine nostro ac-
crevit eum numerum Patronorum Regni nostri Fundator et San-
cti Dominici socius ac discipulus Beatus Hiacinthus Con-
fessor ordinis Praedicatorum in Regno nostro, cuius Cano-
nizationem ante annos aliquot apud Sanctam Sedem Apo-
stolicam impetravimus, et quem speciali devotione semper colui-
mus. Cogitantibus autem nobis de Ecclesia in Honorem Dei
omnipotentis eiusdemque Sancti Confessoris extruenda ec-
ce Religiosi fratres eiusdem ordinis Sancti Dominici Con-
ventus Sanctissimae Trinitatis Cracoviae, ipsi animum nostrum
quasi praeoccupantes auxilio multorum piorum hominum eam
in rem fundos certos domosque in Civitatis nostrae Warsaviensis
suburbio supra fluvium Vistulam emerunt, alterum quidem
ab Honesto Simone Oczko, Alterum vero a Nobili Simone
Witunski Civitatis Warsoviae Notario, eiusque consorte et
Haeredibus, ubi Ecclesiam in honorem praefati S. Hiacinthi
extruere inciperunt, et iam sacellum eo nomine accommodarunt
in quo magno hominum concursu sacra officia peragunt.
Qua in re quoniam fratres praefati rem nobis gratissimam
atque ad ornamentum illius urbis, in qua Comitiorum Regni
Sedes collocata est, apprime spectantem praestiterunt ideo
ut et illi liberius ibidem nobis Regnoque nostro Deum
omnipotentem valeant et beneficentiae nostrae testimonium

307